



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

99 Spiritualibus annexum est quidquid in beneficiis est temporale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

nempe d. c. ad quaestiones. de hoc beneficiorum permutandorum genere nequaquam loquitur, uti modò dicebam. neque fieri potest quin ubi pecunia datur pro beneficio vera sit simonia, cum temporale detur pro spirituali quale quid est beneficij titulus. quod optimè perspexit noster Adrianus Pontifex in quodlibet sua quaestione. 9. artic. ult. vers. ad quintum. à Couarruua laudatus quidem sed non satis examinatus, ut qui Panormitanū ab Angelo non fuisse intellectum sagaciter adnotauerit. Friuola sanè fuit Angeli ratio quòd scilicet pecunia pro téporalibus dari possit; nam quidquid est in beneficiis temporale, spiritualibus totum est annexum quorum & iure censetur ut ac tanquam accessorum; quandoquidem redditus beneficiorum, ex eorūdem beneficiorum titulo, qui censetur esse spiritualis, percipiuntur. nam alioqui semper vnusquisque qui pecuniam pro beneficiis ecclesiasticis adipiscendis dedisset, audacter & impunè dicere posset sese non pro sacro beneficij titulo sed pro redditibus & fructibus & emolumentis beneficij temporalibus & prophanis eam dedisse. quod ut & absurdissimum & à verò alienissimū reiicit optimo iure Couarruuias. d. c. 5. nu. 8. in fin. cum certissimū sit & evidentissimum titulos beneficiorum concedi gratia ministerij spiritualis vel officij spiritualis, ut in quaestione modò memorata omnium apertissimè loquitur Adrianus Pontifex. neque verò sic separari possint in permutandis beneficiis eorundem

99  
*Spiritualibus  
 annexum est  
 quidquid in  
 beneficiis est  
 temporale.*

benfic

beneficiorum prouentus ab ipsismet beneficiis ex quibus proueniunt, quemadmodum possessiones vel pradia separantur ab ecclesiis parochialibus in illo c. ad quaestiones. vbi Pontifex in permutandis talibus ecclesiis & earum pradiis decimalibus duas requirit inter corpora seu monasteria (quorum ea pradia sunt) permutare uolentia separatas permutationes, unam ipsarum ecclesiarum inter se ubi pensatio pecuniaria nulla prorsus admittitur, alteram possessionum seu pradiorum inter se ubi pecuniae permittitur interuentio. quales quidem duae permutationes in permutandis inter se beneficiis duobus fieri non possunt, una beneficiorum scilicet, altera fructuum & obventionum beneficiorum eorundem; quia fructus ipsimet & obuentiones beneficiis ipsis insunt vel eorum sunt pars nullam patiens huiusmodi separationem, cum dumtaxat unicum sit & inueniatur ibi totum vel integrum suis constans partibus, quae si separentur amplius non est quid integrum vel totum; sicut homo corpore extincto vel ab anima deserto desinit esse homo. Quo ex fundamento (spiritualis & inseparabilis nimirum iuris beneficiorum) sequitur & hoc, in permutationibus beneficiorum quantumlibet adeo inaequalium ut fortassis ultra dimidium lesus fuerit alter permutantiu, remedio tamen Legis 2. C. de rescind. vendit. nunquam fore locum; quia pecuniarum additionibus in pensationem seu suppletionem permutationis iniustae non potest esse locus. quam

rem

100

Vera sententia  
cap. ad quaestiones de rer.  
permut.

101

In contractibus  
permutationis beneficiorum cessare,  
remediu legis  
2. C. de rescind. vend.